Serenissimo Princip

RICHARDO

Invictissimi et Augustissimi OLIVARI
nuper vita defuncti

SUCCESSORI:

Angliæ, Scotiæ, et Hiberniæ, cum
Territoriis et Ditionibus

PROTECTORI:

Carmen Panegyricum

Unà

Cum EPICEDIO

In præcedentem Principem
Dicat

Aug. Wingfield.

Augustißime Princeps,

IN Chronicis eſt relatum, Artaxerxem Perſarum Regem dicere ſolitum eſſe, ſe non tam Donum quam Donantis Animum reſpicere. Nec Dii, ut eſt apud Ethnicos, eos aſpernantur, qui cùm Thura non habeant, ſalſâ tantum Molâ litant. Ideo maximè ſperandum, Te — *In cujus vultu reſplendet Imago Deorum* — Mihi offerenti hoc Poema, pii amoris & officii Symbolum, non averſum iri. Quod tametſi non ſit tua Majeſtate dignum, cum tamen ſince-

ro affectu et verâ pietate datum, vehementèr oro, ut acceptum habeas: Ita tuæ Celsitudini precatur Incolumitatem, felicitatem, præsentem, futuram.

Celsitudini tuæ

(Sicut olim Patri,)

Omnibus Officiis devinctus,

Servus tuus Humillimus,

A. W.

PROTECTORI,

Carmen Panegyricum.

SAlve illuſtre *Jubar*, Britonum ter maxime *Princeps*,
Stemmate, *Cromelici*, Stirps oriunda, *Ducis*.

En! moriente *Olivaro*, elata voce *Britanni*
Acclamant, *Regni* Symbola ſacra geras.

Auſpicii

Auſpiciis igitur fauſtis faſtigia ſcandas
Imperii, & Populum, plurima ſêcla, regas.

Non *Diadema* feras vacuum, ſed Numina *Moſis*
Det *Deus*, ut referas, Principis Arte, *Patrem*.

Vtque ille eximio ſuperâvit *Marte* Rebelles,
Reddidit & *Pacis* Mellea Dona *Suis*:

Sic vibrante tuâ Dextrâ durabile *Sceptrum*,
In trino Populo floreat alma *Quies*.

Relligio, Pietas, tibi ſint in Principe Curâ, Deu. 17. 18, 19.
Fac *Chriſti* vigeant Dogmata ſana *Dei*.

Fac vigeant leges ſalubres, juſtumque *Tribunal* Deut. 16. 18, 19, 20.
Nil faciat, quod non *Pagina* ſacra probat.

Exemplar Sancti tibi ſit *Ießiadis* Aula; Pſal. 101.
Illinc nec fugiat, *Qui volet eſſe Pius*.

Impietas nuſquam, *Te Protectore*, favorem
Impetret, è terris exulet omne Scelus,

Sic

Sicc um tranſieris longævæ Tempora Vitæ,
Et filum abrumpet, *Parca* tremenda, Colo:

Tum *Mens* orta Polo, aſcendens ſuper Æthera Vivet,
Cum Patre, cum Chriſto, Conjuge, Fratre, Deo.

Richardus

RICHARDVS CROMELEVS

ANAGR.

Hic Clarus, dum re ores.

HOc Anagramma docet, quì tu Sceptrumque perennet;
Scilicet ardenti si prece Numen ades.

Funde preces igitur Domino, tota Anglia fundat,
Vivas hic Clarus, Clarior Orbe Poli.

EPICEDIUM,

In Augustißimum Principem defunctum

OLIVARUM.

Avitæ suæ Patriæ

DEFENSOREM,

Ang: Scot. et Hibern. nupèr

PROTECTOREM.

MYsta quis Phæbi Numeros sonabit
Aureos? aut quale valet Poema
Nomen *Augusti* celebrare clarum, et
Grandia Gesta?
Mars

Mars ſtupendus ! Prælia quàm ſtupenda
Geſſit ! Heu quantas Acies *Britannûm*
In fugam vertens Gladio potenti
Victor abivit !

Nec Solo tantùm celebris Paterno
Mira fecit, ſed Pelago profundo;
Cui potens ceſſit *Batavus* Tridentis
Marte marino.

Fama cujus ſplendida buccinatur
Vltimis terris, canturque longè
Gentibus, de quâ reboent perennè
Sêcla futura.

Hunc timebat *Roma* ferox, ſuperba
Collibus ſeptem, dominanſque Mundo;
Quiſquis et, Papæ vitiis nefandis,
Polluit Orbem

Hic Domi Bello ſuperans Rebelles,
Attulit Pacem *Britonis*, Coronas,
Sceptra, cum Regis Titulo ſuperbo,
Sponte recuſans.

Victus aſt tandem precibus Popelli;
Mite *Protectoris* humillimumque
Nomen accepit, Regimenque Sacrum
Brutige-narum,

Quo, pio plauſu, moderante Clavum,
Ordo virtutum ſpatiatur *Aulâ*,
Et Sacræ Leges, niveique Mores
Æva Coronant.

Seculi elapſi *Pater*, at futuri
Numen, Atlas Angligenis fidelis,
Anchora, et Fulcrum Patriæ labantis,
Vindice Dextrâ.

Clara Virtutis *Cynoſura* veræ,
Soſpes et *Sanctis* teneris Aſylum,
Dulce ſolamen Miſeris, Egenis
Largus et Auri.

Plura quid fruſtrà repetam? Regenti
Talis illi *Candor* erat, *Pudorque*,
Poſſit ut vix ulla canendo Laudes
Pandere Muſa.

Qui Regens juſtè hic Populum potentem,
Sceptra vibrans cum Pietate ſumma,
Nunc ſedet Chriſti Solio, Perennis
Hoſpes Olympi.

FINIS.